



9

H.X.

11,62

7,72

X

Xx6. Q. H. 266, 23.

M. L. 5. 11,482.

F A T A
P E T R I R A V E N N A T I S
P E R G E R M A N I A M .

Q V I B V S E X P O S I T I S

V I R O

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE

D O M I N O

M. I O H A N N I G O T T L O B
S T E R N I O

BISCHOFFSWERDENS ECCLESIE PASTORI PRIMARIO ET
DIOECESOS SVPERINTENDENTI CLEMENTISSIME
CONSTITUTVO

N O V O S H O N O R E S

Q V O S

ADIIT DOM. QVINQVAGES. A. O. R. MDCCCLXXVII.

E X A N I M O G R A T Y L A N T V R

P A S T O R E S A T Q V E D I A C O N I

E C C L E S I A R Y M E P I S C O P I I N S V L A M C I R C V M I A C E N T I V M V T R I V S Q V E
C I R C V L I H V I V S E P H O R I A E

I N T E R P R E T E

M. C A R O L O C H R I S T I A N O G E R C K E N I O

P A S T . S T O L P E N S . E T D I O E C E S . B I S C H O F F S W E R D E N S . A D I V N C T .
P R I M A R . S O C I E T A T I D R E S D E N S . C H A R I T A T I S A C
S C I E N T I A R . A D S C R I P T .

D R E S D A E

E X O F F I C I N A H A R P E T E R I A N A .



B A T A
P R T I R A V E N N A T I S
T E R G E R M A N I C A

Q A I D A E P R I O R I T A T I S

V I R O

M A N U I T T A L I U N O A M T I C H I O D O C H T I S C H I C H A

D O M I N O

M I O H A N N I G O T T F O B
S A F F R N I O


M A N U I T T A L I U N O A M T I C H I O D O C H T I S C H I C H A

M I O L E C E R E S S A P H R I T I E R I N D I C L E M E N T I S C H I C H A

O C Z S T I L T A T I S

N O V O C O R E S

A U T T D O W G A I N I M D C I X X A I I
B I B L I O T H E C A
P O N I C K A V I A N A



E X A M I N O G A V A L A T A T A R

F U R S T O P H E S A T D A T A D I V C O M I

M A N U I T T A L I U N O A M T I C H I O D O C H T I S C H I C H A

C O D O V A L I H A V A L A E R H O N K A

I N T E R P R E T A

M C A R O L O C H R I S T I A N O G E R G K E N I O

T A M M T A L I U N O A M T I C H I O D O C H T I S C H I C H A

T H I N N E L M A C H E R T T A L A B E S D A M I N O C H R I S T I A N E

C S C I E N T I A L M A C H I C H A

D R E S D A E

Z T O H I C H I A M A C H T T E R I V A N A





§. I. cum iudicat

Instituti ratio.

Cum ante paucos annos de PETRO RAVENNATE, equite auroato & iuris utriusque doctore celeberrimo, ex illustri Tho-
maiorum familia oriundo, publice dissererem per epistolam
Admodum Reverendo Domino M. IMMAN. FRID. GREGORIO, ec-
clesiae Laubanensis nunc Archi-Diacono bene merito inscriptam, a)
id præsertim in animo fuit, ut excitarem doctos historiæ litterariæ
amatores ad diligentius perscrutanda ea, quæ in rebus ad PETRVM
nostrum pertinentibus majori luce adhuc indigere viderentur. Ex-
posui hunc in finem dubia mea circa professoris publici munus, quo
functus esse dicitur PETRS RAVENNAs in academia Vitember-
gensi, a Principe Electore Friderico Sapiente recens condita. Nec
omnino nulla proferenda putavi argumenta, quibus contendere, eximendum
esse PETRVM RAVENNATEM ex indice Professorum
Vitembergensium. Ac primum quidem ad silentium scriptoris do-
mestici, ANDREÆ SENNERTI, provocavi, qui certe in Athenis Vi-
tebergens. hujus nostri RAVENNATIS non omnino oblitus fuisset,

A 2

a) Prodiit Dresdenæ ex officina Herpete. storianum Petri ac Vincentii Ravennatum Co-
rallarium. a. 1773. plag. 1. in 4. sub tit. ad hi-

cum tamen VINCENTII, filii, mentionem faceret iteratam. b) Quod vero maius erat, ipsius PETRI nostri testimonium allegavi, in carmine ad illustrissimos Saxoniæ principes, lectioni eiusdem de potestate summi pontificis & Romani Imperatoris, Erfordie anno MDIII.
4º typis exscriptæ, c) adfixo, ita canentis:

Ad vos doctores: ad vos venere Poëæ.

Cum veniunt, omnes premia certa ferunt.

Me quoque quod legerem vestra petiissimis in urbe,

Lecturus certe, si licuisset, eram.

Sed me facta Deo tenuerunt vota potenti,

Legibus hæc finem ponere vota iubent.

Me claustrum expectat, statui quo ducere vitam:

Sic animæ ut tantum sit mibi cura meæ.

His argumentis permotus plane negavi, ordinarium docendi munus in academia Vitembergenſi unquam obiisse PETRVM RAVENNATEM, sed, destinatum ſibi quidem a gratiosissimis principibus declinasse decenter, arbitratus ſum. Nec defuere inter eruditos, qui meam ſuo calculo probarent ſententiam, e quibus, ut alios preteream, ſupra laudatus GREGORIVS, rationibus rite subductis, etiam publice lauſus eſt, ſe mecum ſentire. d) Postquam vero ab illo tempore plura PETRI nostri scripta, eaque rariora hodie, ipſe perluſtravi, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe vidi, eundem RAVENNATEM publici doctoris munere functionum, inter professores iuris primarios academiæ Vitembergenſis præcipuum locum iure ſuo obtinere: id quod haec ſcriptione copioſius inhi demonſtrandum ſumis, PETRI RAVENNATIS fata per Germaniam expoſituro.

§. II.

b) SENNERT. l. c. pag. m. 56. & 136. 4. §. IV. & Corollarium meum ſupra cit.

c) cf. Rever. milique amicissimi Dni. M. IMMAN. FRID. GREGORI Spicilegium ad hiftoriam Petri Ravennatis. Laubæ 1772.

Pag. 7.

d) In Reſponſione ſubitaria ad Corollarium meum ſupra cit. Laubæ edita a. 1773. pl. I. 4.

§. II. Qua occasione in Germaniam venerit PETRVS RAVENNAs.

Vt autem ordine procedamus, ante omnia explicandum erit, qua occasione ex Italia venerit PETRVS RAVENNAs in Germaniam. Duce in re sequemur ORTWINV GRATIVM, e) cuius nomen Epistolæ illæ Obscurorum Virorum famosum satis reddidere, auctorem quippe libelli, qui Criticomastix peregrinationis Petri RAVENNATIS ab ipso inscribitur ac prodiit Coloniæ a. MDVIII. fol. min. ad calcem operis PETRI RAVENNATIS, Alphabetum aureum dicti. f) Et quis quæso hunc reprobare testem tentabit, qui modo memoratum libellum, defendendi PETRI RAVENNATIS causa, ante oculos eiusdem, compositum & ab ipso PETRO, ut infra dicendi locus erit, approbatum divulgavit? Referti autem auctor ille, PETRO nostro in Germaniam proficisciendi occasionem oblatam esse per Bo-gislaum X Pomeraniæ Duce. Is ex more sæculi sui, iter sanctum in Palæstinam fecerat, anno MCCCCXCVI. exeunte, g) multis nobilibus eum comitantibus. Redux ex itinere transit Venetias, & cum in hac urbe doctorum hominum confluxum videret, quæsivit ibi summo cum studio virum fama ac eruditione clarum, qui secum

A 3

e) Fortasse non in amenum erit, hoc loco adponere ea, qua ipse GRATIVS in Fasciculo rerum extendarum ac fugienda a. 1535. fol. fine mentione loci edito, pag. 239. de se narrat: Ego Orebinus a Græs, ex antiqua Gratiorum familia, diecessis Monasteriensis, (id quod proper obscuros nebulones & fadas eorum epistolas, a fide Apostolica iam pridem condemnatas, non sine causa dixerim,) in Holtwick prope Cosfeldiam, patre seculari Friderico a Græs prognatus, & Daventriæ in diecisi Trajectensi, sub ferula Alexandri Hegiti, viri mediis fidius in utraque lingua & doctissimi & optimi, illic tunc Gymnasarchæ, bonis a puero litteris

altus ac probe enutritus, & ob ipsum vulgo Daventriensis cognominatus &c. &c.

f) Plura de hoc paullo infra. Sed & libri titulum exhibet b. A SEELEN in Selectis litterar. edit. sec. Lübec, 1726. 8. pag. m. 680. not. 6. ubi tamen ultima duo verba: Gualiberus Tangherius, delenda sunt, utpote huc non pertinentia. Ceterum annum editionis 1507. facit, id quod secus se habet, nec meminit adjecti libelli ORTWINI GRATII, qui tamen in primis memorari debuisset.

g) cf. DAV. CHYTRÆI Chron. Saxon. Part. I. edit. Rostoch. 1593. 8. pag. m. 249.

in Pomeraniam migraret ac collapsam rem academiac Gryphicæ restitueret sua doctrina atque auctoritate. Nemo aptior huic negotio gerendo visus fuit PETRO RAVENNATE, qui tum temporis in celebri Gymnasio Patavino iura docebat summo cum applausu. Nec immerito famam consecutus fuit satis magnam hicce Noster, ob stupendam memoriam b) & iuris scientiam haud vulgarem per omnem Italianam commendatus. Praeceptorem habuit ALEXANDRVM de TARTAGNIS, de IMOLA*i*) dictum, quippe qui sua ætate omnium iure consultorum doctissimus clarissimusque putabatur, quemque iuris utriusque monarcham ac principem nominare solebant. k) Hunc audivit tanta assiduitate atque diligentia, ut anno ætatis suæ vigesimo iuris civilis codicem edidicerit totum, ita, ut memoriter pensum quodvis ab unoquoque citatum potuerit recitare. Exemplum hujus rei dedit coram universitate Patavina frequenter congregata, quale nemo unquam viderat, & notatu dignum est, quod ipse RAVENNA de hoc spectaculo refert: *Alexander de Imola p̄aeceptor meus in legibus, per longum spatium stupens tacuit, deinde s̄e crucē signavit, & omnes certatim ad me amplectendum currebant. Demum post*

b) Extat eius libellus primum in Italia editus, postea vero sepe reculsi, sub tit. *Artificioſa Memoria clarissimi I. V. D. & militis domini PETRI RAVENNATIS, per quam facilime multa memoriter teneri & dici posſunt.* Auctor ipse statim in initio gloriatitur ita: *Et cum una sit Fennix, & unus sit iste libellus: libello, si placet, Fennicus non men imponaris.* Duplex autem mihi ad manus est libelli editio. Prior litteris Gothicas impressa in 4. fine mentione loci, anni ac typographi. Posterior vero litteris Romanis excusa est Erfordia per Wolfgangum Schenck anno MD. eadem forma. Conf. etiam, qua habet b. SCHOETTGENIVS in continuat. FABRICII, *biblioth. medie & infinita latinitatis*, lib. XVII, pag. 165. seqv.

i) Cognomen accepit a patria, quæ urbs est Italæ non ignobilis, in Stato Ecclesiastico proprie Ravennam sita, cum castro antiquissimo. *Forum Cornelii* olim dictus est locus, de quo ita HIERONYMVS RUBEVS hisfor. Ravennat. libr. III. edit. Venet. 1589. fol. min. pag. m. 177. Clefs, Longobardorum rex, *Forum Cornelii reædificarum*, Imolamque novo nomine, ab arce, quam extruxerat, vocatum, Ravennæ, quasi perpetuum stimulum, opposuit.

k) v. Merckvürdigkeiten der Kænigl. Bibliothec zu Dresden Vol. II. pag. m. 530. sub no. 712. ubi & passim eiusmodi elo-gia invenies v. c. pag. 323. 343. 397. &c.

post paucos dies, ita pergit Noster, cum vacaret lectura institutionum, ab omnibus scholaribus, ad quos pertinet electio, ad illum locum electus fui, & illam lecturam per quatuor annos legi magno concursu auditorum, & etiam eorum, qui me erant antiquiores in studio. Et in XXIV. anno aetatis meae assumsi gradum in utroque iure, deinde semper legi aut in iure canonico, aut civili, usque ad haec tempora in dicta universitate Patavina, Pisana & in ista, in qua impresestiarum utrumque ius lego &c. &c. l) Hunc ergo virum in tanta celebritate versantem, per legatos etiam commendatum, Bogislaus Dux ad se iubet arcessi, eique facile persuadet, ut secum abeat in Pomeraniam atque gubernet academiam Gryficam, quam efflorescere magis cupiebat optimus princeps.

§. III.

Aegre dimittitar ex Italia. Litteræ Ducis Venetorum.

Sed unum obstare videbatur. Summus Venetorum Magistratus, qui gloriam academiæ Patavinæ, suæ ditioni subiectæ, indies augeri fama & eruditione PETRI RAVENNATIS probe sciebat, monendum erat, ut in eius discessum ex universitate litteraria, modo nominata, consentiret, id quod ægre facturus esse credebatur. Id autem in se recepit laudatus Pomeraniae Dux BOGISLAVS. Nec quievit, donec voti sui compos fieret. Annuit tandem precibus eius Venetorum Dux, AVGUSTINVS BARBADICVS, his usus litteris ad academiam PETRO nostro valde honorificis, quas exhibet nobis ORTWINVS GRATIVS: m)

Illustrissimus Pomeranie Dux, nostri amantissimus, a nobis dudum impetravit, quod doctori nostro eximio, domino Petro Ravennati apud nos Patavii magna cum solermitate indies legenti, hinc secum solvendi veniam impertiremur. Fecimus id quidem animo repugnante. Attamen

nos

l) cf. A SEEDEN loc. cit. pag. m. 679. f.
& Dn. GREGORII Spicileg. §. III. not. q.

m) loc. cit. fol. 106. a.

nos partim abdortatione principis impulsus, partim bene meritis tanti doctoris commoti, hunc cum nostro collegio Duci Bugislae honorandum committimus... Illi vero tantisper lectionem ordinariam observaturi; donec in patriam salvis revertatur. Idque commodius fiat de altero, qui munus iam legendi desertum prosequatur, advigilabimus.

§. IV.

Gryphiswaldæ docet cum laude. Cur inde abierte? Litteræ Duciis Pomeranæ.

Rebus suis compositis nunc in Germaniam, una cum Duce BOGISLAO, iter aggreditur PETRVS RAVENNÆ, uxore LYCRETIA, filio in primis VINCENTIO, I. V. D. n^o) reliquisque liberis eum, co- mitantibus & dulce natale solum cum magno sui desiderio relinquenteribus. In itinere substitit aliquantis per Lubecæ, ibidemque solemnem habuit lectionem, quam carmine in hujus civitatis laudem obsignavit. o^o) Venit tandem ad urbem Gryphiswaldam, in qua summo cum gaudio, summoque cum plausu ab omnibus exceptus est. Professoris primarii munus atque Rectoris Magnifici honores mox in se suscepit, iubente ita BOGISLAO, principe suo gratiosissimo, & omnia egit ibidem, quæ ad incrementum & gloriam hujus universitatis litterariorum ullo modo facere vidarentur. Vixit hoc loco inde ab anno MCCCCXCVIII. per aliquot annos, summa cum laude, quam & docendo & scribendo consecutus est, unde & variis historiæ litterariae Pomeranæ scriptriores honoriscam eius mentio, nem fecere. p) Interea accidit, ut liberi, quos secum adduxerat ex Italia, immatura morte Nostro eriperentur. q) Haec tristiora fata eum

n^o) Ita disertis verbis CHYTRÆVS l. c. Anno 1298. in patriam reversus, (Bogislaus) adduxit secum ex Italia PETRVM RAVENNATEM, & filium ipsum, VINCENTIVM, Iuris Doctores, per quos academia Gryphiswaldensis celebritatem auxit.

o^o) Integrum carmen vide in SEELENII Sel. literar. p. m. 682. seqq.

p) Nominat eos sepe laudatus GREGORIUS in Spicileg. §. III. not. p. quibus addi potest CHYTRÆVS loc. cit.

q) Ita GRATIVS habet l. c. fol. 106. a. qui tamen de filio, VINCENTIO, atque filioli, adhuc superstisibus, dum Vitemberga doceret pater, paullo infra loquitur fol. 107. b.

etum valde afflixerunt & occasionem de reditu in patriam cogitandi prebuerunt. Instat LVCRETIA uxor, nec cessat precari, ut rediundi veniam petat a principe suo, qui, invitus licet, annuit tandem, & equo egregio centumque aureis donatum sequentibus litteris gratiosissime dimisit: r.)

Redit ad Italiam Petrus Ravennas, & multiplicitis doctrinæ vir, & utriusque iuris interpres egregius, quem nos ex Italia conduximus, ut utrumque ius in nostra universitate Grieswaldensi miro quodam modo preferetur. Vbi cuncta simul, quæ vel ad summos honores, vel ad perpetuæ laudis dignitatem attinent, ubertim consecutus, nobis merito indissolubili amicitie vinculo constringitur. Quia de re cum ipsum non modo diligamus sed amemus, cumque constitutum hic tempus & praestanter & innocenter absolverit, omnes principes Italiæ, omnes urbes, castra, conventiones, incolas, religiosos, omnisque seculares & oramus & hortamur, ut laet illum cultu, nostri (si ita vultis) intuitu, vel illius saltem non immemores, eundem suscipere velitis, eumque ac suos omnis tutari, defendere, complecti, fovere atque ab omni incursione illos conservare.

§. V.

Scripta P. R. circa hoc tempus edita.

Antea vero, quam PETRI RAVENNATIS e Pomerania discedentis ulteriora persequamur fata, haud incongruum erit, de scriptis eiusdem, hoc ipso tempore, quo apud Gryphiswaldenses constitutus fuit professor publicus, divulgatis fieri mentionem. Pertinent huic potissimum *Aurea Opuscula*, quorum editio mihi ad manus est satis antiqua, litteris Gothicis, haud dubie circa annum MD. in forma quater complicata, plag. X. expressa, sed neque locum, neque typographum, neque annum indicat. Inscriptio talis est: *Aurea opuscula Celeberrimi Iuris utriusque Doctoris & Equitis aurati domini Petri Ravennatis Itali in uniuersitate Grieswaldenn virumque Ius*

r.) v. GRATIVS l.c. fol. 107. a.

B



ordinarie legentis. Quod ad contenta huius voluminis attinet, statim sub initium occurrit in eo: *Sermo domini Petri de Ravenna, I. V. D; Equitisque aurati, quem habiturus erat de mandato religiosissimi patris & domini, dni, Martini dignissimi Episcopi Caminenn. Decretorum doctoris consumatissimi. In Sinodo per ipsum celebrata.* Sed iusta causa impediens, que tamen sibi est incognita, illum recitare non potuit. In huius orationis introitu prædicat auctor laudes Episcopi Caminensis, qui Synodum hanc coegerat. Has tantas esse ait, ut, licet duabus suis incultis orationibus conatus fuerit exponere easdem, vix tamen unam de centum attingere potuerit. Addit præterea: *Non, que episcopis convenient per partes, sed, quod rarissimum est, cuncta Martino fuere concessa. O uiuam christiane religioni datum fuissest desuper tales habere prelatos!* Fuit autem tum temporis ecclesiæ Caminensis episcopus MARTINVS CARITIVS, Decretorum Doctor, Colbergæ natus, qui anno MCCCCXCVIII. Benedicte a Waldstein successor datus sed sit in hoc episcopatu usque ad annum MDXX. s) Hunc igitur præsulem commendat PETRVS noster clericis congregatis, utpote dignissimum, cuius exemplum sequantur. Deinde ostendere pergit, quid velit sancta religio, quid iura pontificum, quid velit honestas ab omnibus iis, qui sacerdotio fungantur. Utitur hunc in finem non modo auctoritate codicis ac interpretum eius, sed & testimoniiis Scripturæ S. atque veterum auctorum tanta copia adductis, ut eruditionem hominis, hac præsertim ætate, iure mireris. Nec vitia clericorum sui ævi tacet, sed cum gravitate, viro bono digna, reprehendit, eorum negligientiam & pravos mores severe accusans, quapropter ei in catalogo testium veritatis ante reformationis tempora, quem FLACIVS ille ILLYRICVS concinnavit, non ultimus assignandus foret locus. t) Hunc sermonem excipiunt:

s) vid. CHYTRÆVS l.c. pag. m. 250 auctor loquitur: *O quo miseri clericci in Italia, in Francia, in Hispania & ceteris*

& 252

t) Specimen huius rei daturi allegabimus locum pag. A5a. extantem, ubi ita regionibus velocius sagitta currunt ad tardioris horas propter incontinentiam, nec ad hoc adver-

piunt: *Solutiones cum suis canonibus & legibus ad argumenta & allegationes, quae sunt in disputationibus & in consistoriis iudicur, de quibus in fine ita auditores suos adloquitur auctor: Ne libellus iste sit sine speciali nomine, illum libellum florum appellabitis.* Sed iudicium de ejus valore esto penes eos, qui iuris scientiam tenent.

Spestat insuper ad tempus, quo PETRVS noster RAVENNA docuit in academia Gryphica, aliud eius opusculum: *de immunitate ecclesie anno MCCCCXCIX. Lubecæ per Mag. Lucam Brandis typis exscriptum in fol. id quod SEELENIUS VI. C. recenset, v)* unde hac opera nunc facile supersedemus.

§. VI.

In academiam Vitembergensem trahitur.

Diximus supra, PETRVM RAVENNATEM Gryphiswalda abeuntem, id quod factum est sub initium anni MDIII. plane in animo habuisse, patriam suam, Italiam, repetere. Sed eundum est, quo fata trahunt. Condiderat enim paullo ante novam academiam Vitembergæ princeps Elector Saxoniæ Fridericus III. Qui, x) cum ingenio & sapientia excelleret, & litteras ipse intelligeret & amaret, easque in gubernatione maximo usui esse perspiceret, & Maximiliani Imp. qui omnium liberalium artium ac præcipue historiarum

B 2

studia

advertisunt, & quid proderit illis, in fortè domini fuisse electos? Gratias ingentes ago deo meo, quia non permisit me clericalem vitam ducere. Nam defuncta uxore mea prima suadebant amici & propinquii, ut curiam peterem, dicentes, quod evaderem in magnum virum. Non enim, dicebant ipsi, tibi derunt episcopatus, non abbazia, non prałantria: quod constanter facere recusavi, & ut peius esse incagax, secundam duxi uxorem. Noscebam enim me ipsum, quod se. censem, ut aliqui faciunt, & forte peius. Malum potius in matrimonio vivere cum paucis redditibus, quam amplissimos beneficiorum redditus possidere & incontinenter vivere. Nec unquam me facti penitus, & si erravi, libenter erravi.

v) in Selectis litterar. edit. cit. pag. m. 678. seqq.

x) Vt or verbis DAV. CHYTRÆI in Chron. Saxon. Part. I. p. m. 380. s. 808

studia in Germania excitavit, & aliquoties in comitiis electores hor-tatus erat, ut singuli in suis ditionibus academiam conderent, au-toritate & exemplo invitaretur, & fratrem Ernestum Archiepisco-pum Magdeburgensem monitorem assiduum haberet, post diuturnam consultationem, multis dehortantibus, sed D. Mellerstadio, ipsius medico, & Iohanne Staupicio in primis negotium urgentibus, anno MDII. die XVIII. Octobris, solemnni ritu introductam ibi aca-demiam inchoavit. Omnis autem principis cura in eo versabatur, ut doctissimos quosque in hac litterarum sede constitueret viros, qui iuuentutem cum fructu docerent & novæ simul academiae pro-moverent incrementum. Cum igitur de PETRI RAVENNATIS redi-tu in patriam audiret, misit extemplo, qui persuaderent ei, ut Vitembergam veniret, ac publici Professoris munus sibi imponi pateretur. Mutavit ergo proficisci in Italiam consilium PETRVS noster tanti principis fama atque gratia excitatus, ac venit Vitem-bergam, in cuius suburbio Elector cum fratre Iohanne ipsum ex-pectabat: Ardebant enim omnes desiderio videndi & audiendi vi-rum, cuius nominis celebritas hic usque Italianam pariter ac Germa-niam implevisset. Venit autem, ut mihi quidem videtur, non eo animo, ut maneret ibidem, sed potius, ut hospitis instar divorce-ret apud Vitembergenses, inter quos etiam suæ doctrinæ specimen, prælegendo publice, extare voluit, quod idibus Majis a. MDIII. dedit, lectione facta memoriter de potestate summi Pontificis & Ro-manii Imperatoris, in præsentia, ut ipse scribit, illuſtrissimorum prin-cipum Saxoniae Friderici electoris dignissimi & Iohannis, ejus fratri, & ducis Luneburgensis, astante tota vniuersitate Wittenburgiense. ^{y)} Nam de mente PETRI dubitare nos non sinunt verba, quibus utitur in

car-

^{y)} cf. GREGORII V. C. ad historiam Peri Ravennatis Spicileg. §. IV. not. f. qui nos docuit, lectionem illam eo ipso anno 1503. impressam esse Erfordia per Wolfgang.

Schenck, plag. 2. in 4. que tamen etiam Sermonibus extraordinariis Auditoris infra citandis adjecta legitur plag. Min 1b. edit. Colon. 1507. 4.

carmine ad principes Saxoniæ §. I. hujus dissertationis nostræ iam allegato;

Me quoque, quod legerem, vestra periistis in urbe:

Lecturus certe, si licuisset, eram.

Exinde satis apparere olim arbitratus sum, PETRVM RAVENNA-
TEM professoris publici munus plane repudiasse, quam opinionem
meam in *Corollario ad historiam Petri ac Vincentii Ravennatum* supra
citato demonstrandam quidem sumsi, nunc autem retractandam esse
vidi, postquam plura in manibus habui documenta, quibus evin-
citur, PETRVM nostrum illo non privandum esse honore, nec at-
tendendum scriptoris domestici, ANDREÆ SENNERTI, silentium, in
indice Professorum Vitembergensium, qui iura docuerunt, PETRI
RAVENNATIS nomen omittentis. z) Quamvis enim ordinarium
docendi munus in initio recusaret, viitus tamen principum preci-
bus atque promissis clementissimis, illud in se tandem suscepit.

§. VII.

Vitembergæ docuisse probant Sermones.

Hujus rei testimonium perhibent omni exceptione maius do-
ci sermones, quos habuit Vitembergæ & typis exscribendos cura-
vit PETRVS noster. Prima eorum editio Vitembergæ anno MDV.
Hermannii Trebelii, Isenacens. studio facta esse dicitur, quam ego
non vidi. a) Sed alia editione usus sum beneficio viri perillustris,
quem ob natalium splendorem & litterarum amorem summum non
minus, quam ob plura egregii sui favoris atque patrocinii docu-
menta mihi exhibita gratosissime, a multis inde annis pie venera-
tus sum, *Coloniensi nimirum, quæ prodiit in litteratoria officina inge-*
niorum liberorum Quentell, anno MDVII. 4. Eb titulum hujus
operis pleniorem! *Sermones Extraordinarii & pulcherrimi. cum mul-*

B 3 tarum

a) in Abenis Vitemberg. p. 136. a) cf. Dr. GREGORII Spicileg. §. IV. not. y.

tarum rerum & historiarum copia Clarissimi & excellentissimi Vtriusque iuris Doctoris. miranda memoria prediti. Equitisque aurati splendidissimi Petri Ravennatis Itali. quos diebus festis suis auditoribus pronunciat in Universitate Wittenburgensi. assidentibus quoque Serenissimis Principibus & Illusterrissimis Saxonie Ducibus Foederico Electore & Ioanne fratribus. Novissime autem eos pronunciat in Celeberrima universitate Colonensi. que tanquam Regina caput exultit. inter alias Germanie Universitates. Et in hoc volumine continentur etiam opuscula hec eiusdem doctoris Repetitio ca. Inter alia. de immun. eccl. Libellus de potestate Pape & Imperatoris. Clypeus contra Gajum Doctorem.

H. T. b) ad Lectorem

Nescere vis Petri quid possit docta Minerva;

Hoc lege Dedaleum munus opusque novum.

In hac editione sermones XXIV. continentur. qui sequenti ordine a pagina 1. ad 121. leguntur. ita ab auctore inscripti: 1. de verbo Dei. 2. de contemtu mundi. 3. de immortalitate animarum. 4. de veritate inferni. 5. de veritate fidei catholicæ. 6. de dignitate fidei catholicæ. 7. contra affirmantes. plures esse deos. 8. contra Mahometum. 9. contra Iudeos & alios infideles. quod in divinis est pluralitas personarum & Trinitas determinata. 10. contra Iudeos. quod Christus fuerit verus Deus & verus homo. 11. de Antichristo. 12. de iudicio universali. 13. de resurrectione corporum. 14. de morte. 15. de misericordia Dei. 16. de ira Dei. 17. contra blasphemiam. 18. de elemosyna. 19. de honore parentum. 20. contra superbia. 21. contra luxariam. 22. sine titulo. 23. compositus ex dictis gloriose doctoris de Aquino. cum additionibus Iuris. 24. ex nonnullis quotidianis dictis Proverbiorum Salomonis & Ecclesiastici. cum additionibus secundum ordinem Alphabeti. Hosce sermones ad unum omnes ita incipit auctor: In nomine Domini nostri Iesu Christi ad omnes

actus

b) Hermanni Trebelii. utpote teræ. ut ex sequenti pagina patet.
primi editoris. nomen indicant hæ literæ.

actus nostros progrediamur &c. & plerumque sequentibus, sive parum mutatis verbis finit: Dum tempus habemus, operemur bonum. Testimoniis enim tempora, festinemus & nos. Gratia & pax domini nostri Iesu Christi sit semper cum omnibus nobis. Amen. Memorati autem sermones prouti b. OLEARIO digni visi sunt, quorum auctorem interscriptores ecclesiasticos referret: c) ita nobis testantur id, quod adhuc in dubium vocavimus, professoris publici munus apud Vitembergenses obiisse PETRUM RAVENNATEM.

§. VIII.

Dubia removentur.

Sed dubitandi de eo occasionem dedit ipse Noster verbis, quibus usus est in carmine ad principes Saxonie supra allegato: d)
Illud etiam extat in libro Sermonum, de quo locuti sumus, at cum mutatione notatu digna. Omisit enim hoc loco RAVENNAS distichon quintum, sextum atque septimum, ita, ut post verba:

— — — præmia certa ferunt:

statim sequeretur distichon octavum:

Pergite, nam superi &c. &c.

& sic ad finem usque. Idque non sine gravi causa factum esse, quivis facile perspiciet. Cum enim ulterius progrediendi mentem mutaret PETRVS noster, & publicum docendi munus sibi imponeretur apud Vitembergenses, mutandi etiam fuere versus alio tempore, alioque animo ab ipso compositi, unde sententiae nostræ, quam supra posuimus, non leve pondus accedit. Inter hæc mirari fatis non possumus, quo modo factum sit, ut de eo plane nihil referrent neque SENNERTVS, neque CHYTRÆVS, cum tamen uterque

c) in Biblioth. Scriptor. ecclesiast. Tom. II. pag. 117.

d) Integrum legi potest apud Adm. Rev. GREGORIVM in Spicilegio scriptis citato, § IV. not. f.

uterque VINCENTII RAVENNATIS, filii PETRI nostri, memin-
erit, cui etiam inter Professores iuris non modo ab utroque, sed &
inter Rectores academiæ Vitembergensis locum a SENNERTO e) adsi-
gnatum esse videmus. Ita enim scribit CHYTRÆVS f) de initiis
academiæ Vitembergensis differens: *Professores & Decani facultatum*
primi celebriores fuerunt: in Theologia, F. Ioannes de Staupitz, Au-
guſtinianus, Doctor Tübinger. Hermannus Cæſar, Stolbergensis.
Petrus Lupinus, Canonicus Witteb. In Iure: D. Wolfgangus Ste-
helin, Roteburgensis ad Neccarum, Tübige promotus. Ambrosius
Vollandus de Gruningen, primus in iure civili ordinarius, ad quos se-
quenti anno VINCENTIVS RAVENNATIS, Italus, accessit, quem ante
aliquot annos Bogislaus, Pomeranie dux, ex Italia secum adduxerat,
& post hunc Henningus Godeus, Erphordianus, ex quorum schola
Gregorius Pontanus, Hieronymus Schurffius, Benedictus Pauli &
similes prodierunt. Nostra quidem sententia tam illustre PETRI
RAVENNATIS nomen non erat omittendum, cum Vitemberga po-
tius de hoc professore suo non immerito posset gloriari.

§. IX.

Vtterior probatio.

Superest aliud argumentum ad comprobandum id, quod de
mutato animo PETRI RAVENNATIS, Vitembergæ remanentis, di-
ximus. Id ipse fatetur in alio carmine ad principes Saxonie post
Sermones supra recensitos, g) quod integrum hoc loco adponere
lubet, ut & felix PETRI nostri in poësi ingenium inde simul co-
gnoscamus:

Ad

e) in Aibenis Wittebergens. p. m. 56.

g) pag. 121. b. & seqv.

f) in Chrov. Sax. Part. I. p. m. 383.

Ad Gloriosissimos principes Saxoniæ duces, Federicum, Imperii Electorem, & Ioannem, fratres, Petrus Rayennas:

Accipite, o divi, quod ora mente petistis:

Accipite o Perri munera grata duces!

Audistis cum vos hanc me venistis ad urbem

Hic quoque quæ noster malæ libellus habet.

Sed quia vox transiit, remanentia scripta legetis,

Hic sunt, quæ vobis iam placuere diu.

Eritis vos magni cultores numinis ambo,

Hoc mibi fama tulit, nunc mibi facta probant.

Declarant summi fulgentia recta ronantis

Aurea, quæ dantur, munera multa, Deo.

Pauperibusque manus nec vestras clauditis unquam.

Hoc pater, hoc etiam lumina nostra vident.

Est sub sole novum, tempus quod viver in omne,

Poteritas poterit vix adhibere fidem.

Spiritus est habitans unus duo corpora fratrum,

Paceque concordi regna tenere dedit.

Surgent carminibus celebrantes gesta poetæ

Et vestrum toto nomen in orbe canent.

Si dabitur patrias ut nos redeamus ad oras,

Rauca sit hæc quamvis & tuba nostra canet.

Gratulor, & certe quod tales nostra rulerunt

Secula, nec similes forte futura dabunt.

Semper honoratis doctos, hæc maxima laus est

Principis, immensum hæc gloria calcar habet.

Nec tantum, ut video, vestris datur usibus aurum;

Omnis sed virtus uititur ut proprio.

Vestraque iam nostros traxisset fama poetas,

Nec longum cupidos derinniser iter,

C. C. ha. impens de ali. g. g. li. Crédite,

Credite, nec blando patriæ retinentur amore,
 Sed grave principibus displicuisse suis.
 Non fuit hic animus, sed me tenuistis eumtem;
 Sancta ego quæ vidi, causa fuere morte.
 Pergite, nec felix iter intermittere vestrum,
 Finierit qui sic, ille beatus erit.
 Terrenum imperium cœli dedit alta pœnas,
 Cœlesti imperium post quoque fata dabit.
 Si mea vox valens memori sub pectore Petrum
 Condite, nec, qui vos plus amer, alter erit.
 Hoc etiam perit atque cupit Lucretia conjuncta,
 Quæ tantos veller posse videre duces.
 Pro ducibus salvis gaudet laudatque tonantem,
 Ut servit, multas fundit & illa preces.

Sequuntur alia carmina, eaque breviora, viris doctis nobilibusque, quos Vitembergæ amicos habuit auctor, inscripta, scilicet R. P. COSWINO curiæ divi Antonii in Lichtenburg moderatori & gymnasi Cancellario, magnifico porro & clarissimo militi HENRICO de BÜNAV, illustriss. principum consolatori, magnifico denique & splendidissimo militi DEGENHARDO PFEFFINGERO, Sereniss. principum Secretario. Ea autem hoc loco consulto prætermis.

§. X.

De Clypeo P. R. contra Caium.

Dicenda adhuc quædam ante restant, quam in recensendis PETRI RAVENNATIS fatis pergamini, nempe de *clypeo* eius *contra doctorem Caium*, qui etiam adfixus est *Sermonibus* eius, huius nostræ editionis. b) Sed separatim, in forma quater complicata, excusum est hoc opusculum iam anno MDIII. Aliburgii s. Vitembergæ XII.

Kal.

b) vid. plag. Nn 3b. usque ad Oo 3b.

Kal. Iuli, uti subscriptio docet. Huic editioni, quæ in manibus meis est, & titulum in fronte habet sequentem: *Clypeus doctoris Petri Ravennatis contra doctorem Caium, impugnantem suum consilium: decatostichon ad auctorem, præceptorem suum, præfixit Nicolaus Marscillus Thurius, de cuius vita commentatione singulari atque docta exposuit olim b. CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS, scholæ Crucianæ Dresdensis Rector meritissimus.* i) Scilicet sententiam suam dixerat de re iuris feudalis controversa PETRVS RAVENNVS, &, ut mihi quidem videtur, iussu principis electoris, hoc ipso tempore, quo venerat Vitembergam. Alius iuris doctor, haud dubie e Vitembergensibus, quem Caium nominare voluit, impugnaverat consilium PETRI nostri, cui autem respondendum esse duxit hoc suo libello. Provocat statim sub initium libelli ad aliquos doctos viros, quorum auctoritate stare velit, ac digna sunt eius verba, quæ adducantur: k) *Quando vult prefatus doctor, inquit, offero me secum disputaturum istam materiam cum libris in manu, in cancellaria principis nostri serenissimi. Ibi enim sunt duo celeberrimi doctores, Ioannes Kitscher, præpositus,* l) *& Andreas Becker, qui si indicium Petri Ravennatis non est fallax, valent acumine ingeni, doctrina & prudenter. Iff ibi dominus & magister Henningus,* m) *qui & peritia litterarum rarum*

C 2

i) Prodiit Dresden a. 1733. pleg. 2. in 4.
k) vid. plag. A2 b.
l) Altenburgensis filii. & Cölbergens. eccl. qui, ex equestri familia natus, in Italia litterarum studia profectus est, factus denum rector academia Bononiensis. Variis ingenii monumenta nobis reliquit, e quibus dialogum Lipsiae 1516. 4. edit. possedeo, ita inscriptum: *Virtutis & fortuna dissidenium certamen. Leonis pontificis arbitri sententia discussum.* Alia recenset auctor anonymous centuria scriptorum insignium, qui in Lipsensi, Vitembergenſe, Francofordiana ad Oderam academis, a fundatione ipsarum ad 4. 1515. floruerunt, editus

a IOACH. ION. MADERO Helmst. 1660.
4. sub No. XCII. Edidit etiam KITZSCHERVS noster Tragico-Comediam de iherosolymana profecione illastrissimi ducis Pomeranie, Bogislai X. Lipsiae 1501. cuius h. l. non fit mentio, quod miror. Sed in primis evolvi meretur FREYTAGIVS in apparatu litterar. Tom. I. p. 456. qui plara dabit de hoc libello ejusque auctore pag. 458. seqq. ubi & carmina PETRI ac VINCENTII RAVENNATVM ad KITZSCHERVM perscripta exhibentur.

m) HENNINGVS GOEDE, ecclesia OO. SS. Præpositus & iuris professor ordinarius apud Vitembergenſe. v. SENNER. l. c.

rarum & integerrimo iudicio naturali est praeditus. Sunt & ali ibi
praeclari viri &c. &c. Nec denique prætermittenda sunt verba, qui-
bus auctor libellum concludit: n) Posui ego fundamenta stabilia ædifi-
cio meo, quod vento etiam valido concuti non poterit, & feria tertia
post Reminiscere discessi ex curia principis nostri incliti, novem diebus in
itinere steti. Ante Palmarum complevi tria magna consilia cum laude
Dei, cui soli sit honor & gloria, cum talem gratiam dederit hominibus.

Laus Deo.

Clypeus doctoris Petri Ravennatis, qui in universitate Gripstwaldensi
uirumque ius ordinarie legebat, contra doctorem Caium, qui falsis fun-
damentis conatus est impugnare veritatem.

§. XI.

Quam diu docuerit Vitembergæ.

Alia nunc quæstio altioris indaginis excutienda venit nobis,
quam diu scilicet manserit Vitembergæ PETRVS RAVENNATI.
Quamvis enim testetur ORTWINVS GRATIVS, o) cuius ductum
fere secuti sumus huc usque, peste coactum Vitemberga discessisse
RAENNATEM, annum tamen non adscriptis, quem & alias in sua
relatione neglexit. Studui igitur ut annum expiscarer, quo id ac-
ciderit, & hunc me quidem reperisse putavi, cum volverem *Compen-*
dium Iuris D. PETRI RAVENNATIS, impressum, ut in fine nota-
tur, *Altiburgi*, pridie nonas Septembres, anno a natali christiano
MDIII. 4. cuius libri, ob præfactionem NICOLAI MASCALCI *Thu-*
rii ei præfixam, meminit etiam supra laudatus *SCHOETTGENIVS*. p)

Cum

I.c. p. m. 136. ac inpr. *Anonymus* ille a quam, primum fortasse iudicavit quidem
MADERO editus, iam laudatus, sub no. b. *SCHOETTGENIVS*, sed *Clypeus PE-*
TRI RAV. de quo diximus supra, atate il-
lum antecedit. Vterque libellus impressus
est litteris Romanis satis elegantibus, im-
pressoris autem nomen nusquam appetat.
Frustra ergo b. VAL. ERN. LOESCHERI

n) loc. cit. *plag. C5b.*
o) loc. cit. *fol. 107. b.*
p) loc. cit. p. m. 8. Hunc librum omni-
um, qui Vitembergæ excusi fuerint un-

testimonium de libris Vitembergæ a. 1505.

&

Cum enim dimidia fere pars hujus compendii typis exscripta esset, haec ibi notata legi: *Vt videtis, auditores charissimi, pestis nos expellit de universitate.* Tempore suo opus inceptum, deo disponente, perficiam. Interea iam scripta non negligatis, sed legatis, bene intelligatis & memorie commendeturis, quia disputando alios superabitis, qui opus istud neglexerint. Et pacem deus vobis concedat hoc tempore periculoso. Sequens autem pagina talem habet inscriptionem: r) *Hæ sunt nonnullæ additiones factæ ad compendium per dominum doctorem Petrum, quando illud publice interpretabatur in hac alma universitate albiburgiens.* Hinc parum absuit, quin mihi persuaderem, eo ipso, quo venisset anno, MDIII. nimirum, iam abiisse Vitemberga PETRVM RAVENNATEM, pestis periculo fugatum. Sed re diligentius considerata, magis inclinat animus, pro anno huius saeculi sexto decernere. Etenim hoc anno non solum, pestis causa, Hertzbergam translata est Vitembergensis academia, teste SENNERTO, s) sed & intra illud annorum spatium, quod allegavi, varia ingenii monumenta RAVENNATIS nostrí edita sunt Vitembergæ ac Lipsiæ, Sermones nimirum anno MDV. Compendium autem Iuris Canonici, duobus voluminibus a. MDIV. & MDVI. t) quod secus tamen factum esse videtur, si iam anno MDIII. Vitemberga discessisset PETRVS RAVENNAS. Refert etiam SENNERTVS, v) filium Nostri, VINCENTIVM RAVENNATEM anno MDIV. fasces academiæ Vitembergensis tenuisse, id quod locum non haberet, si uterque RAVENNAS eodem tempore, anno scil. huius saeculi tertio, inde abiisset, in primis cum saepè laudatus GRATIVS disertis verbis scribit: x) *Quomodo enim, vel quibus modis Albitiori in tanta rerum omnium perturbatione vitam ageres, ubi neque filius,*

C 3

qui

& seqv. editis, quod dedit in Sermone p. 261. in dubium vocavit in his rebus exercitissimus alias FRID. GOTTH. FREYTAGIVS in apparatu literar. Tom. I. pag. 257. qui inde poterit emendar. q) plag. H4b.

r) plag. H5a.

s) in Arbenis Vitemberg. pag. m. 56. f.

t) cf LEICHIUS de origine & incre-

mentis typographia Lips. p. m. 84. & 86. u)

v) loc. cit.

x) loc. cit. fol. 107.b. *A vita sua*

qui te observantissime amarit, neque filiola, quæ tibi usque blandiebatur, neque principes ambo, qui te illic constituerant, adessent. Inde, mea quidem sententia, vero admodum simile est, non ante annum MDVI. Vitembergay) Coloniam Agrippinam, tum temporis satis celebrem inter academias Germaniae, se contulisse PETRVM RAVENNATEM: sed iudicium esto penes lectorum.

§. XII.

Colonia inra profiteretur. Litteræ regis Dacicæ & Electoris Saxonicæ ad P. R.

Colonia igitur, postquam prima vice prælegentem audivit PETRVM RAVENNATEM, admirata est viri facundiam atque doctrinam. Inde factum est, ut magistratus urbis decerneret ei professoris in iure primarii honores, quos antea nemini, nisi Germano, in hac academia decretos fuisse conatabat. Gratus etiam agnovit Senatus consultum sibi adeo honorificum, ut delatum sibi munus, utrumque *Ius summopere discutiendi*, ut loquitur ORTWINVS GRATIVS, ^{z)} susciperet lubentissime. Docuit ab illo tempore summa cum laude apud Colonenses, & ita quidem, ut varii principes eius opera uti vellent, cuius rei exempla dedit GRATIVS laudatus. Inprimis Daniæ rex IOANNES, omni studio adhibito, tentavit, ut alliceret Nostrum in suas terras. Inter alia ita regem scripsisse GRATIVS refert: ^{a)}

Rex Dacicæ Petro Ravennati felicitatem!

Petianus abs te, domine doctor, ut, si aliquid auctoritatis nomen nostrum apud te habet, in Daciam quam primum venias, ac re, quam scripto, gnaviter considerata, nos omnino visere destines. Sunt hic ardua que-

^{y)} Non prætermittendum est hoc loco, quod adnotavit SCHOETTGENIUS V. C. im gelehrten Zeievertriebe Misen. 1742. 8. edit. pam. 391. §. 4. e rarior libello ANDR. MINHARDI, Lipsiæ 1508. typis exscripto sub tit. *Dialogus illustratae, ac angustissimæ urbis Albiorenæ, vulgo Vittenberg* dictæ, vicum minorem Minorum Fratrum, quem inhabitavit PETRVS RAVENNA Vitembergæ, dictum quoque fuisse vicum Ravennatis.

^{z)} loc. cit. fol. 103. a.

^{a)} loc. cit. fol. 104. a. & b.

quæque negotia tradenda. Sunt lites solvendæ. Sunt dubia enucleanda. Sunt leges interpretanda. Quem nostræ consulant, habent neminem. Ptent, aperias, quid tua velit nostris in rebus sententia? Haud quenquam esse aiunt, qui tui in utriusque iuris interpretatione sit similis, cum in serinio pectoris tui (sic enim iam persuasi mibi) iura quæque contineas. Ob quam rem velim labores, ut rebus posthabitis omnibus me expreas desiderio sapientiae tue. Quod si feceris, (facies autem indubitate) permullos hic fautores & gloriæ & dignitatis, tum me quidem ipsum tui amantisimum senties. Vale!

Suos insuper legatos miserunt MAGNVS & BALTHASAR, duces Magnipolenses serenissimi, qui effusis precibus a Nostro contendentes, ut ad nobilium virorum consilium cœtumque ditionis sibi subiectæ veniret. b) Neque princeps elector Saxoniae FRIDERICVS III. pro sapientia sua cessavit, per iteratas litteras, sua ipsius manu scriptas, monere PETRVM RAVENNATEM, ut Vitembergam rediret cum pristina dignitate. Ejusmodi litterarum exemplum servavit GRATIVS c) saepe citatus, quod est tale:

Cum te novimus, doctor, & nostrum & studii nostri patrem singularemque patronum, cupimus abs te magnopere, nobis consulas, quam laudabile opus per te non honorifice minus, quam laudabiliter inchoatum, in suo vigore permaneat, & ruinam ullam non patiatur. Vastum est, fateor, & grave, & non ferendum, quod nuper omnes ex tuo discessu vulnus accepimus. Heu! heu nos infelices! (quis enim in tanta rerum perturbatione non mœreat) omnes ingeminant, qui tanto ac tam solemnè doctore orbati sumus. Pereat teterima pestis! Pereant fortunae blandimenta! Accedant dies illi, quibus Petrum Ravennatem quoque visere possimus. His et aliis verbis, vir doctissime, se populus omnis exasperat, qui in praecordiis animi mei collectantur. Magnis urgeor stimulis, me dolores excruciant, nec aliud meditor, quam ut te quam-

pri-

b) ORTW. GRATIVS l. c. fol. 104. b. c) loc. cit. fol. 109. b.

primum revisam, quod autem futurum creaes, si contingat, ut cum
prißina dignitate una esse possumus. Cogita et te ipsum recollige,
quanta nos delectatione et voluptate privaveris. Quam ob rem te amo-
ris nostri causa roga, litterarum causa hortor, fratri mei gratia com-
moveo, ut dimisso isthic egregio tuo docendi manere, ad nos (modo per
id non inglorius sies) quamprimum venias. Ego interea, et charissi-
mus meus frater, quae ad honorem tuum pertinere videbuntur, studio-
se diligenterque curabimus. Vale diu nostrae academiae decus et co-
lumna!

§. XIII.

Recitat coram Maximiliano I. Imp.

Tanta PETRI RAVENNATIS fama excitatus quoque Maxi-
milianus I. Romanorum Imperator augustissimus, cuius divinum
ingenium ac insignem in litteras favorem prædicant auctores fide
digni, d) magno eum videndi atque audiendi desiderio flagravit. Ut
itaque voti sui fieret compos, hunc ad se vocari iussit, id quod Coloniæ
accidisse equidem putavi, cum comitia ibidem celebraret anno
MDV. in quibus Philippi Palatini, superiore anno proscripti &
magna ditionis parte mulctati, reconciliatio cum Cæsare & Imperii sta-
tibus, singulari studio Friderici, Electoris Saxoniae, est facta e)
Verum enim vero si certum est id, quod supra posuimus, ante an-
num MBVI. Vitemberga non abiisse Nostrum, alio loco cum Im-
peratore colloquendi potestatem habuisse oportet, quem tamen in
medio relinquimus, nec definire audemus. Audivit autem Maxi-
milianus PETRVM RAVENNATEM nocturno tempore, &, vt GRA-
TII verbis uti liceat, *in grabatulo quiescens*, f) adstante magna Lega-
torum,

d) De insigni favore Maximiliani I. Imp. in poësi extat disertatio viri illustris IOH. GOTLOB BOEHMII, Consil. aul. & Historiographi Eleæt. Sax. celeberrimi, præceptoris quondam ac fautoris venerandi,

doce & eleganter, uti solet, scripta, quæ cum fructu consuli poterit. Prodiit autem Lipsiae a. 1756. 4.

e) cf. CHYTRÆVS I. c. p. m. 425.
f) loc. cit. fol. 104. a.

torum, Iuris doctorum nobiliumque corona, primum carmina recitantem, quæ legi possunt in libro *Sermonum*, g) & post hæc de dignitate imperatoris differentem e libello de potestate Papæ & Imperatoris. Hæc ipse Noster refert & addit: b) *Coram prefato serenissimo Rege (Maximiliano) quandam experientiam memoria feci, qua via & ipse Rex & omnes adstantes obstuperunt concordique voce retulerunt, illud ætate nostra amplius visum non fuisse, & me Rex egregio munere donavit.*

§. XIV.

Scripta Coloniae edita.

Quam vero iam pridem ex merito consecutus erat eruditio-
nem, eandem Coloniae quoque propagavit scriptis editis PETRVS
RAVENNAs. Non enim solum novam editionem *Sermonum*, quos
Vitembergæ antea habuerat, curavit anno MDVII. de qua supra di-
ctum est satis, sed & eodem anno *Compendium juris pontificii lama-
tissimum* iterata vice Coloniae prelo subiecit. i) De novo autem Le-
xicon quoddam iuris prodire fecit, cuius inscriptio est talis: *Alpha-
betum aureum famatissimi Iuris utriusque Doctoris & Equitis aurati dni.
Petri Ravennatis itali. quod ob publicam scholasticorum utilitatem. ac
ut multa ex tempore in utroque Iure, tum opponendo, tum responden-
do, tum etiam determinando, memoriter pronunciare possent. in lucem
edidit. atque amplissime Germanorum universitati Colonensi nuncupavit.
Anno M. CCCCC. VIII. fol. min. In fine libri autem sequentia le-
guntur: Opus hoc iucundissimum in litteraria excudina ingenuorum libe-
rorum Quentell primitiali hac impressione affabre transcriptum est. An-
no supra M. D. octavo. ad Nonas Martias. Proloquium editoris,
Gualtheri Tangherii, Busciducensis, liberalium disciplinarum magi-
stri, iurisque pontificii symmathetis ac mendorum huius operis vin-*

dicis,

g) loc. cit. plag. Mmra.

i) cf. JOSEPH. HARTZHEIMII bibli-
oteca Colonensis, Colon. Agripp. 1747, fol.
280 seqv.

b) loc. cit. plag. Mmrb.

D

dicis, exhibet b. SEELENIVS. k) Sequuntur fol. 83. b. dictu quaedam notabilia quasi extravagantia & sine ordine alphabeti, ac in primis hoc loco confirmat auctor questionem in fine compendii iuris canonici a se excusam, de suspensis conritis non tenendis in patibulo, sed sepi- liendis. Occurrunt porro fol. 87. a. *Allegationes & conclusiones in ma- teria conscientium*, fol. 98. b. autem: *Notabilia quedam dicta & Sin- gularia utriusque juris*, fol. 102. b. denique post epistolam ORTWINI GRATII, Darentreni, bonarum artium professoris, ad PETRVM RAVENNATEM, scriptam *Coloniae Kalendis Martiis anno MDVIII.* eiusdem auctoris libellus extat, quo in recensendis PETRI RAVENNATIS fatis in primis usi sumus, ita inscriptus: ORTWINI GRATII Darentreni ad PETRVM RAVENNATEM sue peregrinationis Cri- ticomastix, in quo multa de rege Romanorum Maxemiliano. Ioanne Danorum rege. Federico Saxonum Duce Ro. Imp. electore. Bugislae Duce Pomeraniae. Augustino Venetorum Duce. & de laudibus felicis Agrip- pinæ cum admiranda rerum novarum varietate in laudem Doctoris eius- dem perscribuntur. Ad finem huius libelli fol. 112. a. adjecit PETRVS RAVENNAE epistolam ad GRATIVM scriptam, qua laborem ejus in se defendendo susceptum laudat atque probat. Integrum adscri- bere placet:

PETRVS RAVENNAE V. I. D. ORTWINO GRATIO, Daren-
treno, fautori meo & amico semper dilecto S. P. D.

Accepi librum tuum, vir prestanissime, qui Criticomastix meæ pe-
regrinationis inscribitur, in quo & oratorem te ostendis, & poetam,
meique nominis acerrimum defensorem. Mordes mordentes me & pun-
gentes omnino confodis. Describis discessum meum ex Italia, cui (ut
iu in elegantissimo tuo opere bene locas) sine maximo meo honore re-
spondere non possum. Habeo tibi gratiam, mi Ortwine, quod in hoc
libro tuo meum nomen posteritati commendaveris atque ita liquidaveris,

k) in Selectis litterar. p. m. 680. n. 6. 22

ut nemo omnium, quam tu, id melius facere potuisset. Recte enim scriptisti & bene. Nam meae peregrinationi tantus honor debetur, ut paucis (si liceat cum modestia dicere) contigisse credam, que mihi cum summa omnium honestate conigerunt. Et que de principibus scriptisti, nemo unquam falsa inveniet. Enumeras claros & nobiles viros felicis Agrippinæ, quos mei amantissimos esse cognovisti. Ponis librorum meorum enumerationem. Das ubique multas laudes, æternos titulos, divina præconia. Vtiam tam vere laudari possem, quam plene pro tua in me humanitate abs te commendor. Nihil mibi iucundius. Nihil ad immortalitatem mei nominis illustrius. Gaudeo, quod laudor a te, hoc est, a viro docto & probo, & a nemine adhuc unquam satis laudato. Tibi sepe uni convenient, que mihi tam multa tribuis. Hoc ipse experientio didici. Hoc anno præterito in actu quodlibetico egregie ostendi, cum de philosophia & septem artibus luculentissime perorares. Hoc viri doctissimi de te referunt, inter quos est Ioannes Borscūs, Vratislaus, nostri amantissimus, qui nuper in cibis nostris, Episcopo Sweriniensi praesente, te suum discipulum fuisse, nunc autem preceptorum esse dicebat. Vtar igitur iam tua oratione, quam in honorem meum descripsisti. Letare tuo tali ac tanto bono, & fruere una cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis, unde maximus est fructus iucunditasque sapienti. Legant scripta tua amici mei, ut illorum nomen nobilius fiat. Legant auditores & discipuli nostri, ut me magis diligent & tuam in amore fidem adnirentur. Legant ipsi, ut livore pereant. Legant detractores, ut cum ratione insaniant. Legant hostes, ut debellentur. Legant Itali, ut mihi congratulentur & tibi faueant. Legant posteri, ut me celebrem vixisse sciant, & te virum doctissimum mei observantissimum fuisse non ignorent. Quod autem variis argumentis mihi hic permanendum suades, libenter accepi. Facis autem, que amicum decevit. Ceterum tanta est omnium de me in Italia amicorum expectatio, ut me illis diutius subtrahere non audeam. Legisti litteras, quibus me redor Patavinus nescitur in patriam revocare. Vidiisti hic Episcopum Swerensem, qui id ipsum tum suapte voluntate, tum litteris multorum diligenter

ter est molitus. Veruntamen tam diu hic manebo, donec F. Iacobo Hæchstraten, S. Theol. Prof. dignissimo ad obiecta quarundam mearum in iure opinionum respondero. Ita enim respondebo, ita scribam, ut me virum esse meminerit. Ignorat naturam Italorum, qui sibi verba dari non patiuntur. Habeo librum de feudis in manibus, cum quo propediem exibunt in lucem, quo contra magistri nostri positiones valere cognovero. Vale decus tuorum. Valeant etiam bene illi, qui me honorant & diligunt, quibus ut me saepe commendes te oro, & cura, ut tuæ orationes quodlibetice primis edantur diebus, quo mecum in Italiam profiscantur. Iterum vale!

§. XV.

Colonia expellitur per invidiam.

Sed meritorum fama indies crescente, dum Coloniae versarentur PETRVS RAVENNAS, tamen malevolorum obtrectationes atque invidiam effugere non potuit. Testis huius rei est GRATIVS, ita scribens: *I) Sunt, qui — novum ie hominem appellent. Sunt, qui cavillose vulpinentur: Miramur, Petrum Ravennatem provincia sua ex euentem ad nos profugisse. Miramur hanc terram alienam incolere, patriam contemnere, Germanos amplexari, peregrinos docere, sedem mutare, alienis potius, quam suis fidere.* Ac imprimis adversarium Noster habuit, ut patet ex epistola ad GRATIVM paullo ante a nobis prolatâ, IACOBVM HOCHSTRATANVM, Theologiae professorem apud Colonenses, acerrimum illum hostem immortalis nostri LUTHERI. *Iste nimirum contra PETRVM RAVENNATEM dimicavit edito libello, cui titulum fecit: Defensio scholastica principum Alemanniæ in eo, quod sceleratos detinent insepultos in ligno, contra Petrum Ravennatem. Ad calcem questiones alias duas de eodem Ravennate adjectit. Prima, an pro simplici furio licitum sit hominem occidere? Altera, an de iure concedendum sit, quod scholares Itali absque meretrici- bus vivere non possint?* Prodiit prima vice, teste IOSEPHO HARTZ.

D) loc. cit. fol. 104. b.

HEIMIO m) V. C. Coloniæ apud Ioh. Landen anno MDVIII. 4. Sed repetitio facta est sequentibus annis huius saeculi nono & undecimo, cuius prior Iustificatorium, posterior, autem Protectorium principum Alemanniae audit, ut ex eodem HARTZHEIMIO didici: nam libellum ipsum Dresdæ ac Lipsiæ frustra quæsivi. Adversario suo respondere voluit RAVENNAS, &, ut ipse ait, in epistola ad GRATIVM supra exhibita, cum libro de Feudis sue sententiæ defensionem divulgare in animo habuit, nec dubito, quin steterit promissis, certi tamen nihil hac de re proferre possum, cum primam libri editionem Maximiliano I. Imp. inscriptam non inspexerim: nam in alia recentiore, Coloniæ anno MDLXVII. 8. typis expressa, qua usus sum, dictæ controversiæ haudquam fieri mentionem, certum est. Eo autem processisse hostium suorem atque rabiem, ut Colonia pellerent PETRVM RAVENNATEM, testis idoneus est HENRIC. CORN. AGRIPPA; n) a FREYTAGIO o) & GREGORIO p) VV. CC. citatus. Quo autem anno id acciderit, non constat.

§. XVI.

Quorsum inde abierit, incertum.

Iniquiora haec fata, quæ præter merita RAVENNAS noster Coloniæ expertus est, eundem sine dubio ex omni Germania protruserunt. Patriæ amor iam olim moverat ipsum, ut Gryphis-walda discederet & Vitembergæ remaneret invitus, licet in utroque loco summis honoribus ornatus. Iam itaque Colonia fugatum Italiam repertisse vero hanc absimile putabit, quicunque meminerit, magnum semper apud Italos fuisse PETRI RAVENNATIS nomen. Inde & GRATIVS scribit: q) Sic te honorant Veneti, ut, quem magis te honorent, habeant neminem. Ita a Patavinis dili-

D 3

gere,

m) in bibliotheca Coloniensi fol. 144. ubi & plura de Nostro leguntur e GRATIVI libello, fol. 280.

n) vid. Oppa Tom. II. epist. 60. lib. II. pag. 105. s. & lib. VII. pag. 363. o) loc. cit. fol. 108.b.

o) in apparatu litter. Tom. I. pag. 33.

p) in Spicileg. §. VIII.

gore, ut te per litteras revocare non desinam. At vero cum HIERONYMVS RVEVS, r) quem alias laudavi, s) nihil plane habet de reditu PETRI RAVENNATIS in Italiam, ac potius Vitembergæ decessisse Nostrum tradit, ex errore tamen, titi patet, equidem non refragarer, si quis, nunquam in patriam rediisse, sed in claustro vita finem expectasse ipsum, contenderebat. Id enim in votis erat Nostro iam tum temporis, cum Vitembergam veniret. Id ipse fassus est in carmine ad principes Saxonie supra allegato: *Me claustrum expectat &c.* Ac eodem anno, cum *Clypeum contra D. Caui* ederet Vitembergæ, scil. MDIII sequentia adjecit in fine libelli: p) *Sicut auditores moi & amici charissimi, Itali & Alemanni, quod deo optimo maximoque ita disponente ego & uxor mea Lucretia omnia mundi reliquimus & habitum fratrum & sororum de penitentia sancti Francisci v) sumpsimus & eorum regulam publice & solemniter professi sumus &c. &c. Quo magis autem dubia sunt ultima fata PETRI RAVENNATIS, eo maiori attentione digna milii visa sunt, quæ narrat HARTZHEIMIVS x), de variis librorum viri huius celeberrimi editionibus *Lugduni* factis intra annos MDXI. & XVII. ac de impresso ibidem ORTWINI GRATI libello, *Criticomastix peregrinationis Petri Ravennatis*, dicto. Inde sane conjectura assenti vellem, e Germania in Galliam transisse Nostrum & *Lugduni* vixisse circa hoc ipsum, quod indicavi, tempus. Quoniam vero alia nobis desunt documenta, quibus hanc coniecturam nostram sufficiamus, nihil addimus, lectori ea de re liberum iudicium relinquentes.*

r) *Historiar. Ravennat. lib. VII. pag. abus supra diximus, quisque facile perspicier, cui nota sunt dissidia inter huius*

s) in *Corollario ad hist. Petri ac Vincen-
tii Ravennatum* pag. 4. 5.

e) Eadem quoque leguntur in libro *Ser-
monum Iupræ cit.* pag. m. 121. a.

v) Ex hoc foque prouulsa se disputatio-
nes HOCSTRATANI, Dominicani, con-
tra PETRVM RAVENNATIS, i) de qui-

TVO autem iudicio cum hanc ipsam de PETRI RAVENNA-TIS per Germaniam fatis commentationem nostram sistimus, VIR MAXIME REVERENDE, facinus id non sine ingeniti voluprate. Novos etenim honores, clementissime TIBI decretos, dum auspicaris, bene intelligimus, id non, nisi benignissimi Numinis cura atque providentia accidisse. Gavisa est patria de TE civi suo, cum TE Diaconi munus rite obeuntem Archi-Diaconi honores cum plausu suscipere videret. Gaudet nunc eo magis illa, cum TIBI ad gravissimum Pastoris ac Superintendentis munus, post beatam ἀγάλυτον Ven. KLOTZII *) nostri, evecto, viva voce acclamat: *Hoc erat in votis!* Quidni & nos gaudeamus, qui nunc arctiori vinculo TEcum, Ephoro diceceos constituto dignissimo, constricti sumus, ob ministerium sacrum, quod ecclesiis nostris præstamus? Gratulamur TIBI proinde hanc dignitatem ex animo, ac nobis ipsis felicitatem illam gratulamur. Dudum perspeximus TVAM fidem, TVAque merita, quæ si multis enumerare vellemus, veniret omnino in mentem, subvereri, ne TVAM offendere modestiam videremur. Nihil magis optamus, quam ut per longam annorum seriem ἐπισκοπὴν TVAM ita ornes, ut in sumini Numinis gloriam cœtusque purioris, ac in primis diceceos salutem, labores TVI cedant omnes. Deum inde precamur Opt. Max. velit TIBI semper adesse sua gratia, eaque omnia TIBI largiri, quæ TVAM, TVORVMque felicitatem augere possint quam maxime. TVO autem amori atque benevolentiae ut nos habeas commendatissimos, etiam atque etiam rogamus.

*) M. IOH. CHRISTIAN. KLOTZIVS cant in orbe eruditio. Vitam eius diligenter conscripsit b. IOH. CHRISTIANVS STERNIVS, ICUS & Consul Bischoffswerdens. meritissimus, inter vitas Pastorum & Superint. Bischoffswerd. vernacula sermons editas *Dresda & Lipsia* a. 1754. 8. pag m. 130 seqq.

Zd 2321 OK

3. Major Christian Klotz
4. Major John Clegg
5. Major John Gandy
6. Major John Gandy
7. Major John Gandy
8. Major John Gandy

ULB Halle
005 039 657

3





F A T A
P E T R I R A V E N N A T I S
P E R G E R M A N I A M .

QVIBVS EXPOSITIS

V I R O

MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMO QVE

D O M I N O

I. IOHANNI GOTTL OB
S T E R N I O

BISCHOFFSWERDENS ECCLESIE PASTORI PRIMARIO ET
DIOECESOS SVPERINTENDENTI CLEMENTISSIME
CONSTITUTO

N O V O S H O N O R E S

QVOS

D I T D O M . Q V I N Q V A G E S . A . O . R . M D C C L X X V I I .

E X A N I M O G R A T V L A N T V R

P A S T O R E S A T Q V E D I A C O N I

ECCLESiarVM EPISCOPi INSVLAM CIRCVMIACENTIVM VTRIVSQVE
CIRCVLi HVIVS EPHORIE

I N T E R P R E T E

I. CAROLO CHRISTIANO GERCKENIO

PAST. STOLPENS. ET DIOCES. BISCHOFFSWERDENS. ADIVNCT.
PRIMAR. SOCIETATI DRESDENS. CHARITATIS AC
SCIENTIAR. ADSCRIPT.

D R E S D A E

E X O F F I C I N A H A R P E T E R I A N A .

